

ELENCHUS OPELLÆ.

- N. 190. *Agit Theologum, sed hæreticum.*
 N. 191. *An Ecclesia præcipiat hominibus celibatum?*
 N. 192. *Christus etiam conditionate præcipit juveni cælibatum.*
 N. 193. *An cessatio sectæ Stoicæ sit magna calamitas generis humani.*
 N. 194. *Sophisma auctoris mutuatum ex Puffendorffio: homines nati sunt ad edendum: ergo vita contemplativa male instituitur per religionem.*
 N. 195. *Nimiam speculationem dicit auctor, quinque momentis per diem animum convertere ad DEUM, & ex hoc totum perditum existimat.*
 N. 197. *Omnia momenta debemus DEO. Repugnabit auctor, & cum Christo mercabitur.*
 N. 198. *Videtur à pœnitentia excludere contemplationem.*
 N. 199. *Implexa auctoris antitheta.*
 N. 200. *De vita futura colludit auctor cum Puffendorffio Christianos desperationis insimulante.*
 N. 201. *Auctor in defensione sua, ait, se Christianæ religionis excellentiam predicare. Hoc dicit aliquot verbis, sed Spiritus ejus aliorsum tendit; quia eam subordinat utilitati caducæ: veritatem in ea non attendit &c.*
 N. 202. *Hoc docetur.*
 N. 204. *Scopus auctoris in toto libro videtur esse, ut defendat, omnia quæ nunc fiunt, optime fieri, qualiacunque sint. Præcipue ut omnes religiones maneant quales sint, sola fere exclusa Catholica, quæ valde mutanda ei videtur.*
Ex hoc ejus libro si quis ejus principia in usum deducat, aut fiet Calvinus, aut novam sectam cudet, aut erit è numero sic dictorum honestorum puerorum, Ehrliche Kerl; hoc est Naturalistarum & Indifferentium.
 N. 205. *Libenter admittam, auctorem excusari, eum non ex decreto malum esse, sed errasse tantum. Hoc certe contendo, eum sublimi ratione, quam promiserat, excidisse: hoc est bellum spiritum esse, sed vanum.*
 N. 206. *Mibi objicitur: Revera ita vivi secundum clima, ut auctor spiritus legum exponit: igitur me in pedantismum incidisse.*
 N. 207. *Confiteor mundum revera sapissime male vivere, climate homines libenter abduci ad sensualitatem, torporem &c.*
 N. 208. *Sed hoc certum est, in homine esse aliquid his malis contradicens.*
 N. 210. *Sed Spiritus legum, aio ego, non consistit in hoc ut maneat quisque qualem se invenit, quod auctor suo labore impetrare optavit.*

INGRES-



INGRESSUS SERMONIS.

I.



X quo Protestantium clamores de Jure naturæ varii, diffusi, unaque alii Europam circumsonant, & patentibus passim auribus bibuntur, non parum se mortalis hæc scena mutavit. Antehac paucos in Europa numerabamus Principes; subditi & mandatis parentes omnem numerum absolvebant secundum illud: *Omnis anima altioribus potestatibus subdita sit.*

2. At jam in ista scientiarum, quæ jactatur, luce, in ista Stoici fastus resuscitatione tot reges quot homines, tot legislatores quot scholarum moderatores su-

spicimus: ut, si verum est illud: *In corruptissima republica plurimæ leges: Germaniam præcipue nostram minimo ab interritu intervallo distare necesse sit.*

3. Ex quo enim pauci ludorum Heterodoxorum magistri legem tulere pragmaticam omnibus quaqua versum populis sanctam (solis per Heineccii gratiam exceptis iis, qui plane obbrutuerunt) ut *Jus natura NISI SOLA RATIONE* discere piaculum sit; idemque tamen ad moderandam rempublicam & omnem hominum vitam sit unice necessarium, ampla se objecit catastrophe. Larvæ, Lemures, Harpyiæ, & quidquid obscœni adhuc in angulis delituit Auctoritatis metu, nunc terribili

A

bili

bili Auctoritatis scuticâ per herodoxæ scholæ illam legem disruptâ, emicant, jamque facto agmine prorumpunt.

4. Quisquis micam suam rationis secum considerans, ejusdem admiratione capi incipit, & volubilem pennam, lævesque chartas in promptu habet, *leges palam scribit*, non sibi, sed populis, regnis, terrarum orbi.

5. Qui si ingenui quidquam haberent in recessu, hoc uno reprimere pruritus possent, quod alii quoque homines sint, quibus non sit ficus pro cerebro; neque ipsi sint soli super terram.

6. Præter ceteros jam notos prodiit nuper *Legislator* id genus novus proposito palam Codice suo, cujus fronti inscriptum: *L'ESPRIT DES LOIX*: spiritus, sive anima, aut si mavis *Quinta Essentia legum*.

7. Is ceteros ante se longe supergressus, non hominibus, non populis, non principibus leges fert, sed *ipsis Legibus*. Has ad diribitorium citat: neque earum quasi corpora pertentat sed in ipsa intestina audacem mittit manum, & progreditur usque ad *divisionem animæ ac spiritus*, rem verbo solum divino propriam, ut habet Apostolus noster.

8. De scriptore hujus libri, quippe nomen suum seu pudore

occulit seu metu, varia est suspicio. Nostra id minime refert. Gallum esse prodit nativa sermonis elegantia, & periodorum concinnitas, & facilitas cogitandi plurima, ceteraque, quæ fere concurrunt ad *un Bel Esprit* seu pulchrum floridumque ingenium. Quem florem non quidem Buhurii more solis Gallis agnosceamus proprium, sed iis tamen admodum familiarem esse proni confitemur, quamquam prudentiores Galli, qui præcepta educandæ juventutis ediderunt, hanc rem in sua gente vitiosam esse sentiunt: quare sollicitè monent, ne moderatores juventutem ad hunc bellum spiritum ducant, & sponte huc inclinatos ut inde revocent ad solidiora. Vid. *Spectacle de la nature*.

9. Suaviter ergo hic liber legitur claro melle passim oblitus.

Sed & legitur magna expectatione. Non enim leve promissum hoc est, illique arbori simile, ex qua vescentes pomum fiabant scientes boni & mali, & similes Diis.

10. Tanto autem ea spes eaque cupido est ardentior, quod leges quidem sciuntur multis, sed *animam ac spiritum ipsum legum* deprehendisse fortasse contigerit paucis: imo forte nemini, quia adhuc omnes legem non sola na-

da

da ratione dimensi sunt sed auctoritate multa impediti illuc accesserunt. Ex hoc autem libro uno, tametsi leges omnes ignores ipse, haud dubie legum omnium fies peritissimus, ipseque legislator optimus efficiere, qualis hactenus nemo. *Spiritus* enim ipse *legum* non saltem duplex in te immigrabit sed sexcentuplex, & quot sunt sub sole populi. Eo deinde animatus spiritu quidni oracula loquere! omnium qui ante te fuerunt hominum norma futurus.

11. Ex Germanico nostro cælo extitere quidam, qui illum *Bel Esprit* non multa laude afficerent, nisi connubio jungeretur cum severa quadam matrona, Gallis dicta *la Justesse d'Esprit* ou de penser, ou des idées, hoc est, quam secundum Germanici ingenii modum possemus dicere *Soliditatem cogitandi*, qua cogitata ita firmantur, ut volubilia non sint, nec exceptionibus facile pateant, nec in partem diversam aut adversam converti facile possint.

12. De hoc jam libro, in cuius auctore *elegantiam* ingenii agnosco, tria præcipue existimo.

Primum Eundem Puffendorffii ac ceterorum id genus e choro esse; atque adeo in eum cadere omnia, quæ in illos merito dicuntur.

Secundum. Illum esse Puffendorffio deteriore, tum quoad aliqua dogmata, tum quoad speciem & elegantiam majorem. Cum enim Puffendorffius cruditate quadam horrorem faciat, hic contra auctor specie allicit, Sphynxis formosâ more.

Tertium. Librum istum esse magnam peram Sophismatum, eique deesse connubium gravis illius matronæ *Justesse d'Esprit*, Justitiam, inquam, & soliditatem, quas maxime ego desideravero, ubi de Justitia ac legum anima agitur. Non enim, ni fallor, *quæcunque ratio* est legum anima, sed justitia sive *justa ratio*.

13. Ex his autem consequitur, Lectores hujus libri, multo magis quam in aliis libris nonnisi cautione summa in eodem versari debere. Quemadmodum qui cæcos lucos init, in quibus casses sunt occulti testæque fossæ, tametsi pauca, suspenso graditur vestigio, neque suavi avicularum concentu. neque tepidæ umbræ illicio, neque viretorum pulcro aspectu incantari se patitur, quo minus cuncta, siquid solidi subsit, cautus examinet, antequam pedem ponat. Sic cum ego ostendero in eo libro talia statui ex quibus æque malum atque bonum sequatur, &

A 2

falla-

fallaciarum nusquam te esse securum, nempe intelliges opinor, quanta circumspectione progrediendum tibi sit etiam per ea loca, quæ ego nec excussi nec tetigi, tantoque id debes magis, quod non pauca sunt, sed sane multæ ac profundæ, quibus capi possis, fossæ.

Per omnia autem illa pervadere nec mihi jam otium est, nec etiam necesse.

De Præfatione Spiritus legum.

14. **I**N præfationis mox initio pretium libro suo facit elegans auctor, atque solidæ doctrinæ præsumptionem sibi conciliare studet, dum precatur, ne de se judicetur ex momentanea lectione: *Viginti ipsis annis elaboratum opus esse.*

15. Neque, quin vera dicat, dubitamus. Sed eadem nobis in re non contemnendum edit humanæ imbecillitatis exemplum.

Haud dubie operam suam spectare eo vult, ut leges hætenus per omnem mundum usitatas, si ve religionem si ve societatem temporalem spectent, dijudicemus ex præceptis hujus sui operis idque spondet nobis secure facturos, quod opus sit elaboratum, perfectumque *viginti omni-*

no annorum lucubratione, ab homine tam belli ingenii.

Exemplum, iterum dico, humanæ infelicitatis hic editur. Quid si contra insurgant, ut ceteras omnes taceam, *Romane leges solæ?* cumque legibus ipsis illi deinde viri, illi populi, qui his legibus steterunt? Leges Romanæ, & populi harum servatores legum viginti etiam, ni fallor, annos huic scriptori opponent. Nec viginti annos laboris in iis legibus *excogitandis*, sed in iis usu & experimento *probandis*.

16. Quodque est de legibus Romanis dictum, id potiori jure de legibus Ecclesiæ dixerò, quæ suos viginti annos auctori ejus libri cum fœnore remetientur.

Quod si jam sint aliquam multa in novo illo privati auctoris libro, quibus Romanæ, ne dicam ecclesiæ leges contradicant, nempe viginti annorum pone fornacem otiosæ contemplationes, ab ipso hoc libro improbatæ, cedent tot seculorum usui à sapientissimis nationibus conservato? Nihil igitur facit auctor viginti suos annos producens in medium.

17. Deinde exemplum humanæ infelicitatis in hoc est, quod viginti annorum studio non potuerit deprehendere, quam sit manca, incerta, fallax sua doctrina, quod deprehendere primo

mox

mox aspectu possunt ii, qui legum atque sanæ logicæ luminibus utcunque imbuti sunt.

18. Vix ea edixerat, subdit, *orare se, ut non aliqua dicta, sed totus liber suus probetur, aut totus damnetur.* Inconsulta postulatio, tantoque infirmior, quanto magis humanæ imbecillitatis & ignorantiae immemor. Prudentes solent agnoscere, quædam in suis libris, tanto tempore elucubratis, esse bona, neque petunt ea cum malis una damnationis sententia involvi, utpote bona, justa, atque recta. Agnoscunt etiam excidere sibi quantumvis studiosis potuisse aliqua non bona; neque propterea petunt *totos* libros suos probari, nempe cum bonis etiam mala.

19. Putidum est, quod statim subjungit: *Si quis auctoris scopum requirit, is detegi bene non potest, nisi in scopo totius operis.* Valde nos ignoraces existimat, qui id nesciamus. Liber per se finem non habet; quemadmodum telum à jaculatore dirigitur. Fieri tamen potest, ut quo collimet fundibularius celet; quo certius incautos feriat. Hoc certe voluisse hic auctor videtur, metam sub ipso operis specioso titulo occultens. Promittit enim *Spiritum* legum, & subinde edit sine spiritu abortum. Verum frustra

jacitur rete ante oculos pennatorum; oculis solum apertis est opus, ut animadvertas, vim legum internam omnem ab hoc homine, præsertim religionem exsufflari, eamque omnem alligari atque subjici jam climati terræ, aëri, ac denique ventri.

20. Scopum suum nullibi quidem indicat; nisi duas præfationis periodos pro scopi significatione accipias: sic autem sonant: „ Si possem efficere, ut „ omnibus hominibus nascantur „ novæ rationes ad amandum „ suum officium, suum principem, patriam, leges, & ut felicitatem suam magis sentirent „ in quavis regione, quovis regimine, quovis gradu, quo quisque est positus, omnium mortalium me beatissimum putarem.

„ Si possem imperantibus augere cognitionem eorum, quæ debent præscribere, & subditis novum amorem obediendi, omnium mortalium me beatissimum putarem.

„ Omnium mortalium me putarem beatissimum, si efficere possem, ut omnes homines se ipsos à præjudiciis suis sanarent. Præjudicia autem hic appello non id, quod nos ignorare facit certas quasdam res, „ sed

„ sed quod nos nobis ipsis incognitos facit.

21. Igitur id pro scopo habuerit auctor, quo obtento beatitatem sibi maximam omnium mortalium majorem spondet. Ea autem sunt. 1. *Officium*. 2. *Cognitio* imperandorum à Principibus. 3. Amor obediendi. 4. Amor patriæ, felicitatis in sua regione &c. 5. Præjudiciorum extinctio, & sui ipsius cognitio.

In universum hæc omnia non alium *spiritum* legum continent quam Puffendorffianum. Is promissit, ex *interiore cognitione sui* ipsius depromere spiritum & principium juris, & illum fabricavit ex appetitu juvandi, appetitu nocendi, ex commodis externis hujus tantum vitæ. Hic vero auctor eadem promittens, ommissa vera justitia, veroque sine Spiritum legum fabricatur ex tellure, ex aëre, ex climate, nervis, cute: imo ex hominum inclinationibus ad mulieres, ad segnitiam, ad suimet interfectionem, quæ omnia paulo post videbimus.

22. Deinde sæpius in libro utitur hac excusatione: *In omnibus istis non probo nec iustifico usus, sed eorum usum rationes reddo* Lib. XVIII. Cap. 4. Non dico quale debeat esse officium, imperium, lex, usus; sed quales sint. Et quomodo statim in præfatione

„ suspirat sibi hanc felicitatem, ut per ipsius monita quisque amet eas leges, eam regionem, illud regimen in quo vivit? Ponamus leges & usus, quos refert auctor, non esse tales, quales *debet* esse. Nihilominus auctor se beatissimum putat, si populus mala lege imbutus eam amet; quia auctori insuper est, malæ an bonæ leges sint; iste earum rationes reddit per decursum operis, & in præfatione proficitur sibi hoc unice propositum esse, ut unusquisque amet id, in quo se invenit viventem. Lubens admittam, ut quis excuset auctorem, non ita male eum sensisse, mitius exponendum esse. Optem nobis sollicitudinem suam pro vera justitia & fine saltem aliquoties prodidisset, prout in ejus excusationem ferremur. Sed hoc omisso, illud, puto, manifestum est, deficere ita dictis soliditatem, *la justesse d'esprit*, & auctorem ipsum vix scire quid sibi propositum tot annorum labore habuerit. Vid. num. 56. & n. 61.

23. Sigillatim autem quod dicit, de *amore officii* & de *amore obediendi*, excusationem illi præcludit. Quodsi enim auctor non describit in libro suo *officia*, quomodo potest sperare ut amorem officiorum hominibus generet! atqui *officia* non describit, quia non

non docet, quales *debeant* esse leges & usus, officium autem est debitum ab omni parte.

24. Inquiet: non officia describo, sed *rationes* officiorum, & hoc satis est, ut persuadeatur à me hominibus amor officii. R. Nullibi describit *rationes justitiæ*, sed materiam, & quascunque hominum inclinationes pro rationibus adducit. Causa ergo amandi suas quascunque leges est clima, cutis, inclinationes. Turcæ cara est sua cutis polygama: hujus cutis rationem dedit auctor clima: auctor beatum se putat & scopo omni potitum, si rationibus obtineat, ut quisque suas leges amet: igitur beatus erit auctor, si Turcæ egregie in sua consuetudine obfirmetur: idem erit beatus, si Angli pergant semet interficere; quia indicavit rationes, cur quisque debeat suam regionem amare, nempe clima. Ex rationibus hujus auctoris Anglus agnoscet semet, hoc est novam rationem intelliget, cur ipsius machinæ gravis sit etiam existentia, & cur ipsi interfectio sui ipsius imputari non possit. Et ex his novis rationibus amabit felicitatem regionis suæ; libenter se occidet, quia clima ipsum ad hoc portat. Et auctor beator omnibus erit, si Anglos in hoc furore novis suggestis ra-

tionibus obfirmaverit; si persuaserit magistratibus Anglorum, ne pœnis animadvertant in occisores sui ipsorum.

Quam vero male auctor instituat viam ad præjudicia ponenda & semet agnoscendum, alius forte erit mihi dicendi campus. Nam cognoscere clima suum, papillas cutis suæ, fibrarum stricturam, terræ fertilitatem, inclinationem ad servitutum hominum, ad fraudes & mulieres, nondum est cognoscere se ipsum: præcipue cum horum imperium tribuitur climati. Ubi enim manet *Spiritus* ejusque cognitio? An gleba tantum est homo? Quodsi leges sunt partus rationis & spiritus, cur is auctor, qui *Spiritum* legum inquisiturus est, non majorem sollicitudinem ostendit ad *Spiritum* rationis agnoscendum? cur non majus *spiritui* imperium tribuit? cur sollicitus est ne homo *quinque momenta* per diem impendens speculationi, nimis faciat atque adeo semet cognoscere rite nequeat? DEUS, sive origo nostra nihil pertinet ad cognitionem nostri ipsorum! Nam DEUM, providentiam, ultimum finem fere sola omisit, qui hominem cognitionem sui ipsius docere promissit.

25. Verum ne in ipso limine nimium immoremur cogitatis hujus

jus auctoris parum solidis, bona
 lectoris venia paginam unam ex
 auctore Gallo admodum solido
 hic latinam reddam: Is est au-
 ctor *Du Spectacle de la Nature*,
 qui Tomo VI. Entretien fixié-
 me, meditationem instituens de
 causa, cur tam varia mortalium
 conditiones sint, sic fere loquitur:
 „ Per effectus hujus stu-
 „ pendæ diversitatis possumus
 „ judicare quæ sit ejus diversifi-
 „ cationis vera origo, & primum
 „ mobile. Hi effectus nobis
 „ palpabilem reddent magni mo-
 „ menti veritatem illam, quam
 „ nos docet Revelatio, & quam
 „ ignorat Philosophia tunc, cum
 „ Religionis ductui valedicit, ut
 „ propriis innitatur cogitationi-
 „ bus. Philosophi, qui viam
 „ Religionis deseruerunt, ve-
 „ ram causam societatis huma-
 „ næ atque adeo vera ejusdem
 „ officia perdidere ex oculis: ii-
 „ dem etiam inæqualitatem va-
 „ riarum hujus vitæ conditio-
 „ num adscripserunt causis ima-
 „ ginariis.
 „ Platonica Secta vetus & mo-
 „ derna inæqualitatem hanc ad-
 „ scribit potentum aviditati &
 „ usurpationi. Hanc dispositio-
 „ nem dicunt esse rationi con-
 „ trariam; tollendam ergo esse
 „ hanc inæqualitatem, omnibus
 „ viribus eo committendum, ut

„ omnia ad æquum reducantur,
 „ & ad communionem perfe-
 „ ctam. Ingens est hoc nego-
 „ tium. Res sane præclara, om-
 „ nes in universum rationes re-
 „ formare, quæ omnes fuere
 „ tam stupidæ & ratione caren-
 „ tes, ut admitterent regiminis
 „ formam, in qua tanta esset
 „ conditionis inæqualitas & tan-
 „ ta subordinatio! Quanta hæc
 „ erit laus Philosophiæ, si ea ra-
 „ dicitus extirparet iniquitatem,
 „ & injurias omnes quaqua ver-
 „ sum opprimeret! Duo adhuc
 „ soli fuere homines animorum
 „ pleni, qui cæpere manum ad
 „ opus tantum admovere, ni-
 „ mirum *Plato* & celeberrimus
 „ ab Hispania *Kisshotus*, *Don-*
 „ *Quixot*.
 „ Verum in adversis castris
 „ militant *Leibnitius*, *Optimista*
 „ sic dicti, & major pars *Meta-*
 „ *physicorum*, qui varios mun-
 „ dos possibiles in cerebro suo
 „ creant, ut ex eorum apud se-
 „ met comparatione decernant
 „ fines, quos DEUS in conden-
 „ do hoc nostro mundo propo-
 „ sitos habuit. Hi omnes *Pla-*
 „ *toni* è diametro opposita sen-
 „ tiunt, dicuntque, omnia, ut
 „ nunc sunt, esse bona, imo opti-
 „ ma, atque adeo nihil mutan-
 „ dum: hominem jam nunc esse
 „ talem, qualis esse debet. Hunc

„ mun-

„ mundum debere esse alterius
 „ indolis quam sit mundus reli-
 „ quorum planetarum. Atque
 „ ex ista comparatione orbis no-
 „ stri cum reliquis planetis
 „ (quamquam de his sciant ni-
 „ hil) derivant imaginaria sua
 „ principia morum, & motiva
 „ tranquillitatis animæ nostræ,
 „ &c.
 „ Permittamus humanis inge-
 „ niis imaginari sibi aut reforma-
 „ tionem hominum ad illam æ-
 „ qualitatem Platoniam, aut
 „ relativas & respectivas illas
 „ pulcritudines & bonitates me-
 „ taphysicas. Credo ex iis, qui
 „ has imaginationes suspiciunt
 „ tanquam magnam & profun-
 „ dam scientiam, multos ne co-
 „ gitare quidem, quomodo eas-
 „ dem concilient cum decretis
 „ fidei. Verum ejusmodi prin-
 „ cipia quam sunt cœcutientia,
 „ parumque idonea ad volunta-
 „ tem nostram vero bono sub-
 „ sternendum! quam tenue in
 „ his solatium ad mala nostra
 „ edulcorandum! Felices nos,
 „ qui habeamus Scholam aliam
 „ tutiorem, & experientiæ ma-
 „ gis consentaneam, necessitati-
 „ bus denique nostris magis com-
 „ menfuratam. Ea vero est *re-*
 „ *ligio revelata*.
 „ Hæc nos docet, ut homo sit
 „ à meliore statu corruptus, ut

„ que DEUS auctoritatem, necessi-
 „ tatem obediendi, atque adeo
 „ diversitatem conditionum in
 „ mundo stabiliverit ad hoc ut
 „ crimina reprimantur, & cohi-
 „ beatur inclinatio ad prava.
 „ Docet nos religio, vices tem-
 „ porum, injurias aëris & innu-
 „ meras necessitates, quæ homi-
 „ nes ab hominibus dependen-
 „ tes faciunt & subordinatos,
 „ ad hoc à DEO esse institutas,
 „ nobisque impositas, ut simul
 „ mali exerceantur laboribus
 „ etiam inviti, simul boni virtu-
 „ tum omnium exercitatione ad
 „ perfectum deducantur.
 „ Velle DEUM homines vitæ
 „ duræ subicere, experientia uni-
 „ versali manifestum est. Vel-
 „ le etiam ipsum homines inter
 „ se colligare per varietatem ne-
 „ cessitatum & conditionum, at-
 „ testatum habemus antiquissi-
 „ mis monumentis & vestigiis,
 „ quæ quisque facile deprehen-
 „ dat.

26. Elegans & solidus auctor
 prosequitur exponere unde nata
 sint diversæ conditiones, illud-
 que præstat sic, ut experientia
 fidei sit testis, & Philosophorum
 seu Juris naturæ nostro ævo scri-
 ptorum phantastica systemata e-
 luenda. Pergit enim paulo post
 in hunc modum.

B

„ Epi-

„ Epicureismus semper causis
 „ tantum secundis intentus nihil
 „ videre voluit quam ratiocina-
 „ tiones legislatorum & passio-
 „ nes hominum, ut ex his fabri-
 „ caret fundamenta legum to-
 „ tumque ordinem societatis.
 „ Non diffitemur, equum fræno
 „ & calcaribus regi, ut homi-
 „ nem legibus hominum. Sed
 „ ipsum frænum ab alio regi ne-
 „ cesse est. Experientia constat,
 „ Cordis humani petulantiam
 „ fræno indigere, sed, quæ hoc
 „ frænum sunt, necessitates & ad-
 „ versitates, DEUM auctorem
 „ rectoremque habent.
 „ Is, qui intelligit quam belle
 „ societatis humanæ indoles cum
 „ testimoniis divinæ revelatio-
 „ nis conspiret, facile etiam in-
 „ telliget, hominem non esse ta-
 „ lem, qualis esse deberet, &
 „ diversitatem hanc conditio-
 „ num opus esse providentiæ di-
 „ vinæ, quæ sollicita est dimi-
 „ nuere effectus à pravitate cor-
 „ dis humani proficiscentes, &
 „ adigere hominem ad bonum
 „ saltem commodi sui causa fa-
 „ ciendum, quod facere debe-
 „ ret ex virtute.
 „ Ex hoc etiam apparet, si
 „ qua est religio, quæ ad hæc,
 „ quæ diximus, homines obli-
 „ get ex altiore motivo amoris
 „ erga homines, eam solam Re-

„ ligionem facere posse veros ac
 „ bonos cives. Christiana ergo
 „ religio, non illa, quæ in char-
 „ tæ exponitur palam, sed quæ
 „ cordibus inscripta in actiones
 „ exit, vera est perfectio huma-
 „ næ societatis.

27. Exagitat deinde imbecilli-
 tatem & ignorantiam Philosopho-
 rum & Politicorum, qui *solam*
suam rationem ad hoc sufficere ja-
 ctant.

28. Ea vero omnia in aucto-
 rem *Spiritus legum* quam maxime
 cadunt. Is rationi suæ plus quam
 hæcenus ceteri confisus, quam
 debilis in ipso sit ratio, nulloque
 solido fundamento nixa, omni-
 bus libri sui paginis mire prodit.

Sane Societatis humanæ fun-
 damenta positurus in humillimis
 semper rebus Puffendorffii more
 versatur, in appetitu nocendi,
 in egestate, in commodis terre-
 nis, in climate: nunquam vero
 altius attollit caput, ne ad solem
 quidem climatum, quod tamen
 vel ignorantissimi gentiles Ame-
 ricani fecerunt, quamquam ni-
 mis, & ita, ut solem etiam pro
 DEO colerent.

Debilis est, qui societatem
 colligare vult sine vinculo, aut
 vinculis tantum vimineis, quæ di-
 ximus. Verum vinculum ad ve-
 rum bonum potenter trahens,
 aut

aut ignorat aut dissimulat, utro-
 que modo debilis.

Debilis, qui causas societatis
 scrutans nullas deprehendere po-
 test, nisi quæ quadrupedum etiam
 ante pedes sunt, luteas & car-
 neas.

Spiritus legum omnium exqui-
 siturus, nihil cogitat, nihil loqui-
 tur nihil argutatur non *carnale* &
crudum, nihil quod *Spiritus* fa-
 piat. Spiritus legum res est, ni
 fallor, vere spiritualis, divina,
 æterna ratio omnia disponentis
 DEI. Nam si spiritus legum ni-
 hil est æternum, spiritus legum
 in horas mutabitur cum aëre,
 cum climate, cum decurrentibus
 aquis, & maxime ad cordis hu-
 mani irrequietis motibus omni
 aëre mutabilioribus. At hic au-
 ctor pro spiritu legum nobis pro-
 ponit ea ipsa, quæ in horas mu-
 tantur, & legum evertendarum
 causa sunt.

Debilis est, qui id ipsum, quod
 legibus ordinandum ac subji-
 cendum est, habet pro spiritu le-
 gum, errore veniam prorsus nul-
 lam merente post viginti anno-
 rum laborem: ut qui de spiritu
 hominis inquirens eum tantum
 consistere in nervis, in intesti-
 nis, in pedibus, aut etiam in
 carne bubula devoranda existi-
 maret, egregium sane se philoso-
 phum præstaret.

Debilis est, qui materiam re-
 motam legum habet pro spiritu
 legum, ut hunc facere ostende-
 mus.

Debilis denique, qui neque
 quid toto libro suo velit ac pro-
 positum habeat, docet, neque
 ipse hoc scire videtur: neque
 quid sit principium scit, cum
 semper principia in ore habeat.

Debilis qui legitimas argumen-
 tationum leges vel ignorat vel
 certe perpetuo violat, cum om-
 nium populorum rationes, id est
 leges, & ipsarum rationum seu
 legum rationes ad examen pro
 potestate vocat.

Debilis ad extremum, qui ve-
 rum spiritum legum, id est æter-
 nas DEI rationes humanis terre-
 nisque vicibus subordinat.

Cujus forma reipublicæ non
 differt à republica formicarum,
 aut Castorum in America, aut
 Simiarum; quippe hi quoque so-
 cietatem suam instituunt ad se
 conservandum, se nutriendum,
 se vestiendum seu protegendum,
 & reliquas actiones vitæ; non
 autem ad speculandum. Homi-
 nes autem ii, quibus spiritum
 suum legum infundit auctor, pa-
 riter *nati sunt ad se conservandum,*
se nutriendum, vestiendum, &
omnes actiones vitæ humanæ, Cap.
 XI. Lib. XXIV. in quarum actio-
 num *humanarum* numero tamen

non debet esse multa speculatio: ne quidem per quinque momenta de die. vid. infra N. 194. 198.

29. His omnibus infirmitatibus decumbere istum novum spiritum legum, quod DEUS bene vertat, jam ostendimus. Non ut contumeliam huic, quisquis is est, viro irrogemus, sed ut moneantur incauti, ne hoc auctore abutantur ad ferendam sententiam de justitia deve religione. Neve existiment pulcre dictis subesse etiam soliditatem & certitudinem, quod primo mox obtutu belle excogitata videantur & à florido ingenio profecta.

Qua de re scripserit auctor, & quid videatur per spiritum legum intelligere?

30. **L**ibri primi Capite primo sic incipit: „Leges in latissima sua significatione sunt „Respectus necessarij derivati ex „natura rerum. Et in hoc sensu omnia Entia habent suas leges. Divinitas habet suas leges: mundus materialis habet suas leges: entia intelligentia homine superiora habent suas leges: bestia habent suas leges.

31. Respectus hic auctor tales intelligere videtur, qui consistant in subjectione unius erga

aliud. Nam quando dicit, *Deum habere suas leges*, ad suam sententiam confirmandam vel illustrandam allegat locum Plutarchi, qui in Libro, *Principem debere esse philosophum*, ait: *Lex est Regina omnium mortalium & Immortalium*, hoc est Deorum. Itaque lex Divinitatis est regina Deitatis, & DEO imperat lex, & legi paret DEUS æque ac homo & mundus materialis.

32. Cum igitur auctor deinde præoccupat aliquam objectionem, quam advertit sibi fieri posse, male sese juvat. Poterat ipsi objici: Si lex est respectus necessarius, & DEUS habet leges, DEUS necessario hac lege tenetur, igitur regnabit *Fatum cæcum*. Ab hac objectionem ita se expedit: Mundus non regitur fato cæco. Fatum cæcum est maxima absurditas. Argumentum autem quod ex ipsius doctrina formatur, relinquit intactum. Denique addit: Absurdum est dicere, à *fato cæco producta esse entia intelligentia*.

33. Non videtur negare fatum; cæcum esse negat. Nam postea, quando mox iterum de legibus Deitatis loquitur, sic dicit: „DEUS habet respectum ad „Universum ut creator & conservator. Leges, secundum „quas creavit, sunt eadem secundum

„cun-

„cundum quas conservat. Agit „secundum istas regulas, quia „illas cognoscit; cognoscit „illas, quia illas facit; facit „illas, quia illæ habent respectum ad suam sapientiam & „potentiam. „Subjungit paulo post: „Hoc modo creatio, „quæ videtur esse actus arbitrarius, supponit regulas æque „infallibiles ac fatum atheorum, „sed ego in hæc examinanda diutius me non committam.

34. Obiter tantum adverto, per hæc fundamenta everti *Revelationem*, id quod Naturalistis propositum est. Nam DEUS iisdem regulis mundum gubernat, ait, quibus eundem creavit. At regulæ, quibus creavit, non sunt arbitrariæ sed necessariæ. Ergo & regulæ gubernationis non debent esse arbitrariæ. Enimvero revelatio est arbitraria DEO, & potest eam non facere. Igitur Revelatio non est admittenda inter regulas gubernationis, nisi in altero forte mundo, qui nondum est factus.

35. Hæc autem, ut dixi, jam omittam; proficiscar autem per respectivum librum, sicubi invenire possim, qua de re auctor tractet, quid sibi propositum habeat ad describendum vel nos

docendum? hoc est, quæro respectivum spiritum legum.

36. Et in primo quidem capite nihil tale invenio. Ordine enumerat entia, quæ habent leges. Sed auctor non promiserat nos docere, quod entia habeant leges.

37. Capite secundo agit de lege naturæ, & disputat quomodo vivat homo fictus, abstractus à conditionibus iis, quibus nunc vestitur? Ne hoc quidem promississe auctorem credo, cum spiritum legis nobis promisit.

38. Capiti tertio titulum fecit: *De legibus positivis*. Hic vero auctor noster tandem definit *Spiritum legum*, ad cujus definitionis sexaginta amplius versus longæ aspectum horripilatio me subit, & facile apparet, in definitione tam longa multa sumi tanquam certa, quæ sint incertissima. Sic vero incipit: Cap. III. „Cum primum homines sunt in „societate, amittunt sensum suæ „imbecillitatis.

3. Hoc esse falsum. Omnes jam homines sunt in societate, & nihilominus omnes, excepto hoc auctore, sentiunt multum imbecillitatem propriam ab omni parte.

39. Pergit auctor: „Æqualitas, quæ inter ipsos erat, cessat.

B 3

3. Fal-